Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

98

quiescentium iniuriam. quia manifesta res est. et hoc marty
ribus proficere ad honorem. quod profuisset credentibus ad salutem.
Statimque tali visione firmatus religiosis imperatoribus precem
detulit. ac sine mora ulla quod tam pie poposcerat impe
travit. ut translatas ad basilicam omni studio preparatam
sancti viri reliquias nulla temeritas violaret audacia. quam
avidus venerantes colerent obsequiis. Quod nunc huic
opusculo super est hoc negligentes omnes intelligant. audi
entes causam salutis nostre in fide stare. neque sine causa dominum
euangelica voce dixisse. Credis hoc? Illi cum responsum fuisset
credo. ait. fiat tibi secundum fidem tuam. non quod dominus scrutator cor
dis eternum deus illius credulitatem nesciret. sed ut de his que
de diversis virtutibus dicerentur. aut de his que nobis tribui
posceremus. non debere nos dubie credere commoneret.
Unde quia ipse salvator de talibus viris dixit. si feceritis
voluntatem meam. iam non dicam vos servos sed amicos. Et inde
sub prophetali voce testatur dicens. Michi autem valde hono
rati sunt amici tui deus. et iterum. hii sunt qui venerunt ex mag
na tribulatione. et laverunt stolas suas in sanguine
agni. qui secuntur eum. De quorum beatitudine dictum est plan
tati in domo domini in atriis dei nostri florebunt. Et iterum.
Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. Et iterum. Exul
tabunt sancti in gloria letabuntur in cubilibus suis. Et iterum.
Hec est gloria omnibus sanctis eius. quibus non solum credere in xpo. sed et pro
xpo pati ac statim post resolutionem corporum cum ipso esse do
natum est. Amicos ac dilectos deo non negligamus ut mortu
os. sed honoremus ut vivos. quia non dubia fide certum est
quod sic eorundem fidelium suffragia postulemus. fidelium .